


LVNÆ DIE 21 M. APRILIS A. 2008

A.d. XI Kal. Maias a. MMVIII

I 4 3

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRATRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° agrément P701451

IN MEMORIAM
IN MEMORIAM INCLYTAM
D.RIS P. CÆLESTIS EICHENSEER

Alibi certe multa narrabuntur de Patris Cælestis cursu honorum et rebus in studiorum universitate Saravipontana gestis ; hic potius memorias afferam nostræ triginta annorum frugiferæ amicitiae. ¶ Anno 1973 fortuito incidi in methodum « Assimil » linguae Latinæ addiscendæ, auctore Clemente Desessard, qua stupens comperi adhuc esse homines lingua Latina utentes ut viva. In hoc libro etiam indicabatur periodicum Latinum *Vita Latina* inscriptum, cuius statim subnotator factus sum. Ibi legi conventum consociationis Vitæ Latinæ anno 1975 tempore Paschali Pali (*Pau*) in Francogallia meridionali habitum iri. Statui illuc ire ut istos singulares homines Latine loquentes tandem convenirem. Deceptus domum redii ; homines enim palam Latine legentes audivi, vix loquentes.

¶ Latinitatem vivam verisimiliter non amplius curavisse, nisi cursus publicus mihi inopinanti depositisset magnum involucrum a quodam D.re P. Cæleste Eichenseer missum. Qui scribebat se impeditum esse ne conventum Palensem participaret, nomen tamen meum sibi ignotum in indice participum invenisse et scire cupere quis essem ; adiunxerat fasciculos periodici *Vox Latina* inscripti. In his nuntiabantur Cælestem Eichenseer seminarium Latinitatis vivæ duarum septimanarum Francofurti anno 1976, mense Augusto, moderaturum esse. ¶ Ibi fortasse plura compriam, mecum cogitavi, de usu hodierno linguae Latinæ, qui, si re vera possibilis sit, maximæ utilitati esse possit civitatibus Europæis, quæ tandem statuerint vires suas coniungere, potius quam bella inter se insane gerere.

¶ At ipse non audeo seminarium Francofurtense adire, propter Latine loquendi imperitiam ; itaque illuc mitto duas filias Dianam et Corinnam, quæ ad finem studiorum scholarium perveniunt. Tunc primum in Cælestis seminario adsunt duæ participes, quæ Theodisce omnino nesciunt ; quare ceteri participes coguntur cum eis, etiam extra sessiones, Latine colloqui. Filiabus perplacet seminarium, quæ domum reversæ mihi dicunt : « Ille vir Latine loqui eximie scit ! ». ¶ Ipse Cælestem Eichenseer primum Saraviponti convenio, mense Novembri insequentि occasione parvæ sessionis cenatecæ, quam solito more cum nonnullis Latinis amicis habet in quadam caupona. Ille vir re vera usum linguae Latinæ restituere vult, qui sit Europæis coniungendis perutilis. Post hunc primum congressum, iam non dubito quin hoc fieri possit, atque ab eo tempore nullam occasionem omitto eum conveniendi, qui me sermonem Latinum doceat. Tunc nondum scio quantum illius viri commercium vitam meam mutaturum sit.

¶ Incredibilis est Cælestis Eichenseer actuositas. Anno 1977 quattuor seminaria moderatur, Saraviponti,

Herfordiæ et bis Francofurti. Ipse Herfordiense participo. ¶ Ab anno 1973 sodalis factus est « Academiæ Latinis Litteris Linguæque Fovendis », patrono vetere professore Saravipontano Andrea Thierfelder, qui inter Academiæ conditores numeratur et Cælestem multum æstimat propter amorem scientiamque linguae Latinæ. ¶ Tempore Paschali anni 1977, Academiæ conventui interest, quem Senegaliæ præses Leopoldus Sedar Senghor Dakariæ lautissime instituit. Dakariam petit una cum professore Saravipontano Christiano Helfer, qui eum ut cooperatorem Latinum arcessivit in cathedralm suam doctrinæ « Cultus civilis et rei socialis Europæ ». Sic factum est ut anno 1976 monachus Benedictinus Cælestis Eichenseer monasterium Bavanicum relinquere et Saraviponti habitaret, ubi monachorum cucullum album cum veste civili commutavit. ¶ Mense Februario anni 1978 professor Nicolaus Sallmann in studiorum universitatem Mogontiacensem sodales consociationis, c.n. « Vox Latina », invitat et ibi, suadente Christiano Helfer, « Societas Latina » iuris Germanici creatur ; in statuto leguntur hæc : « Societas Latina hoc unum ac potissimum sibi proponit, ut perquiratur quibus modis lingua Latina in vita et humanitate hodierna ad commodum commune adhibeatur et adhiberi possit in usu vivo loquentium et scribentium. » Cælestis præses eligitur et manebit usque ad finem vitæ. Ego, anno insequentि, sodalis fio huius societatis, cuius propositum cum meo mirum in modum congruit. Cum primam sessionem adeo, miror quod participes, omnes Germani, Theodisce loquuntur ; propter me Theodisce non intellegentem, ab eo tempore sessiones habentur Latine. ¶ Cælestis anno 1978 iterum quattuor seminaria moderatur, quorum duo sunt singularia, cum primum habeantur extra Germaniam. Crescente enim Cælestis fama, professor Osvaldus Dilke universitatis Ledesiensis (*Leeds in Magna Britannia*), Academiæ sodalis, et professor David West eum invitant ad seminarium Ledesiæ moderandum. Hæc est occasio mei primi itineris una cum Cæleste faciendi ; medio mense Aprili, autocinetō meo vecti, Ledesiam petimus, ubi triginta circiter participes obstupefacti Cælestem audiunt fuse Latine loquentem. ¶ Christianus Helfer locum ad seminarium aptum querit extra Germaniam ; Alsatia ei placet, quia in hac Francogallia regione lingua Theodisca etiam intellegitur ; bonam sedem invenit Selestadii, ubi primum seminarium Alsaticum exeunte mense Augusto incohatur. Filia Diana huic interest. ¶ Anno 1979 iterum habentur quattuor seminaria, quorum duo extra Germaniam, i.e. Selestadii et, primum in Italia, Bononiæ. ¶ Societatis Latinæ consensus anni 1980 habe-

IN MEMORIAM

tur Saraviponti ; gaudent sodales, quod numerus Voci Latinæ subnotatorum, qui anno 1977 tantum erat 530, factus est 1230. Hoc anno tria seminaria habentur, iterum Selestadii et iterum in Magna Britannia, Ledesiæ et Eboraci. Illuc vehor una cum Cæleste et alumno Nicolao Gross, Societatis Latinæ sodale facto. Britanni iterum mirantur Cælestis facundiam Latinam, sed nemo participum postea fit Latinitatis vivæ cultor.

¶ Exeunte eodem anno Civitas Vaticana conventum « De verbis novandis » Romæ instituit. Cum Societas Latina multos neologismos iam finxerit, Cælestis Eichenseer et Christianus Helfer invitantur ad verba facienda. Inter oratores est quoque carmelita decalceatus Austrius, Suitbertus Siedl nomine, qui et vestem monachalem et longam barbam gerit. Cum admirer eum etiam fusius Cæleste Latine loqui, eum adeo suadens ut seminaria Latina instituat, sed respondet se tales res ordinare non posse et præterea nullum locum modici pretii in Austria inveniri posse. ¶ Præter tria seminaria, Lingæ in Vestphalia, Selestadii et Francofurti, anno 1981 Augustæ Treverorum habetur Academiæ « Omnia Gentium ac Nationum Conventus Latinis Litteris Linguæque Fovendis ». Est conventus optime ordinatus frequensque ; amplius ducenti sunt participes, undique oriundi, etiam ex Unione Sovietica et Foederatis Civitatibus Americæ. Tempus etiam datur Latinitati vivæ, de qua Cælestis Eichenseer et Christianus Helfer acroasin faciunt. Interest Ianus Novak, musicus Moravus necnon optimus Latinitatis vivæ fautor ; qui inter conventum professorem Valahfridum Stroh Monacensem convenit, et cum eo amicalem consuetudinem iungit. ¶ Anno 1982 sodales Societatis Latinæ ad annum consessum Bruxellis domi meæ ineunte mense Februario habendum invito. Inter sessionem eis suadeo ut seminarium proximo anno in Belgica instituatur, quod ipse ordinem. Nuntio etiam mihi in animo esse pelliculam cinematicam de comoedia Plautina « Rudens » inscripta proximo anno conficiendam curare. Post sessionem una lustramus magnam bibliothecam Bollandistarum, quæ instructa est in collegio Sancti Michaelis. ¶ Propter academicas necessitates nullum seminarium fit anno 1982. Suitbertus autem Siedl de consilio meo videtur cogitavisse ; nam, iuvante Vaticano « Opere Fundato Latinitate », hoc anno « Ferias Latinas » moderatur. Cælestis egoque, valde cupidi quomodo rem agat videndi, una mense Augusto proficiscimur in Carinthiam, ubi in oppido *Tainach* Suitbertus Siedl suas secundas Ferias moderatur. Certe per facile Latine loquitur, sed eandem virtutem didacticam ac Cælestis non habet ; præterea docere ei est tædio, quare loco

magistri sæpe ponit casetophonum ; participes verba Latina auscultant, sed nullus fit dialogus. ¶ Ibi pri-
mum nobis licet Lambertum Pigini convenire. Ille vir ecclesiasticus regit in Italia, in oppido Recinetu
(*Recanati*), domum Editoriam ELI, quæ inter alia cœpit didascalica periodica *Adulescens* et *Iuvenis* inscripta in lucem edere. Lambertus Pigini illuc venit ad præco-
nium horum periodicorum faciendum. ¶ Societatis Latinae consessus anni 1983 habetur in universitate Mogontiacensi, invitante Nicolao Sallmann. Ibi delibe-
ratur de « Instituto Latinitatis Recentioris » in cathedra professoris Helfer mox creando ; in hoc Instituto opera dabitur ad « Thesaurum Neolatinum » conficiendum,
i.e. lexicon neologismorum Latinorum a sexto decimo
sæculo fectorum. ¶ Duo seminaria eodem anno 1983
habentur, utrumque extra Germaniam, seminarium Selestadiense et primum seminarium Belgicum, quod
fit paucis diebus post pelliculam cinematicam de
Rudente in horto villæ meæ Neoportuensis confectam.
Hoc seminarium Vestendæ instruitur ad litus
Belgicum ; est frequens et iucundum. Adest Lambertus
Pigini, Latine discendi cupidus, et vetus professor
Leodiensis Renatus Fohalle, qui anno 1956 primum
conventum Latinitatis vivæ Avennione participavit.
Inter triginta quinque participes, multi sunt Belgæ, qui
Latinitatem vivam primum inveniunt et Cælestis
facundiam Latinam multum admirantur. Hi Belgæ tunc
statuunt circulum Latinum condere, ubi singulis men-
sibus linguam Latinam exercere possint ; qui circulus
usque nunc sessiones habere non desiit. ¶ Inter semi-
narium Cælestis commodius pernoctat in villa mea
Neoportuensi. Ibi fortuito convenimus professorem
Valahfridum Stroh, qui ferias ad litus Belgicum degit.
Nos monet se una cum Iano Novak « Ludos Latinos »
proximo mense Septembri in vetere oppido Bavaroico
Elvach ordinaturum esse. Cælestis egoque statim sta-
tuimus illuc una vehi. Hi ludi, ubi musica cum sermo-
ne Latino mirum in modum coniungitur, multos
homines alliciunt. ¶ Mense Ianuario anni 1984 pellicu-
la *Rudentis* primum exhibetur in magna aula Liberæ
Universitatis Bruxellensis, occasione 150 anniversarii
huius universitatis. Cælestis Eichenseer et Christianus
Helfer sunt in primo ordine frequentium spectatorum.
Pellicula iterum exhibetur inter Societatis Latinæ
consessum, Saraviponti mense Februario. ¶ Tempore
Paschali eiusdem anni Matriti habetur quadriduanus
conventus philologorum magistrorumque Latinitatis,
cui præest Professor Antonius Fontan. Eius academica
assistens, Barbara Pastor nomine, quæ proximo supe-
riore anno pro Suitberto Siedl frequentissimas Ferias
Latinas in insulis Balearibus ordinavit, hanc occasio-

IN MEMORIAM



P. Cælestis Eichenseer (a dextris) una cum Gaio Licoppe, Meldis m. Nov. a. 1988.

nem capit ad Latinitatem vivam fovendam atque valet complures universitatis Complutensis professores allucere ut acroasin Latinam faciant. ¶ Cælestis aeroplano, ego filiaque Diana autocinetu Matritum petimus. Conventus inaugurator ab urbis præfecto Tierno Galvan, quocum, cum præsidem moratum exspectet, nobis licet paulisper sermocinari ; non solum Francogallice scit, sed etiam nostra verba Latina intellegit. Multi professores universitatis Complutensis, etiam scientiarum naturalium, ibi verba faciunt, sed inter litteras Latinas docentes sunt qui Latinitati vivæ omnino non faveant. Post acroasin professoris Garcia Calvo, exempli gratia, oritur disputatio satis vehemens inter ipsum et Cælestem. Dixit enim ille professor se, contra Ferias Latinas, credere linguam Latinam esse mortuam et in prælectionibus academicis potius legere poetas Romanos quam orationem solutam. Dimisso conventu, excursionem una cum Cæleste facimus ad Vallem Cæsorum lustrandam. ¶ Tria seminaria habentur, Selestadii, iterum in Germania Bottropii et Vestendæ, quo confluunt quadraginta participes ; inter hoc seminarium fit lustratio Brugensis, quam Latine dicit Paulus Elsen, unus ex officialibus huius urbis mystagogis ; qui vir postea diu perget lustrationes Latinas facere. ¶ Eodem anno in lucem editur primus fasciculus periodici Latini *Melissa* inscripti ; hoc periodicum, multo tenuius quam Vox Latina sed sed sexies in anno editum, condo quo recentiores nuntii afferri possint. ¶ Anno 1985 consessus Societatis Latinæ fit in universitate Mogontiacensi. Iohannes Paulus Bauer,

iuris professor in universitate Saravipontana et societatis vice præses, suam translationem Latinam legum Europæarum in lucem edit. ¶ Tempore Paschali, professor Valahfridus Stroh Ludos Latinos unius septimanæ instituit ut Augustam Vindelicum (*Augsburg*) ante duo millennia a Romanis conditam celebret. Diana, Cælestis egoque ad hos Ludos una vehimur ; Christianus Helfer iter separatim facit. Inter participes, numero ducentos quadraginta, sunt duæ discipulæ et quinque discipuli Malaviani, sumptibus præsidis Kamuzu Banda missi, necnon Arituneus Mitzuno, litterarum Latinarum professor in universitate Kyotensi idemque mirus poeta Latinus. ¶ Magna est rerum propositarum varietas ; musica mirum in

modum coniungitur cum sermone Latino. Ad Latine loquendum participes cottidie inducuntur ab Andrea Fritsch et Cæleste Eichenseer, adiuvante Inga Pessarra-Grim. In memoriam Iani Novak præmature vita functi, Doctor Georgius Leonhardt, Latinista et musicus, cantiones Latinas, quas ille Ianus modis musicis mirabiliter instruxit, sollertissime docet. Scholas eligere licet, ubi de variis rebus tractatur, non solum litterariis, sed etiam humilioribus, ut de coquina et vestimentis Romanorum. ¶ Orationes fiunt, inter quas eminent acroasis Aritunei Mitzuno « De Iaponia ». Manibus candidis digitibus indutis, orator per sesquihoram multa narrat de historia et cultu civili Iaponum necnon de satis recenti creatione cathedrae litterarum Latinarum in universitate Kiotensi. Cum eum pudeat concivium materialismi, ad finem acroasis clamat « S.O.S., S.O.S., Succurrite Orientalibus Sodales ! » ¶ Spectacula præbentur, ut Terentii comœdia *Eunuchus*, ab Heidelbergensibus alumnis acta, et *Rudentis* pellicula. « Collegium Augustanum priscis modis renovandis » mirabilem concentum rhythmis mediævalibus facit, utens veteribus instrumentis musicis. Culmen Ludorum est concentus musicus in maximo Odeo Augustæ Vindelicum factus, cooperantibus Monacensibus musicis symphoniacis. Ut argumentum huius concentus, Valahfridus Stroh elegit Horatianum Carmen Sæculare, quod Franciscus Andreas Philidorus (XVIII sæc.) modis musicis illustravit. ¶ Anno 1985 habentur quattuor seminaria, Bottropii, Selestadii, Vestendæ et, primum in Helvetia, Morsaci. ¶ Mense

Augusto Dunelmi (*Durham*) in Magna Britannia celebratur Academiæ conventus « Omnim Gentium ac Nationum Latinis Litteris linguæque fovendis », institutibus professore Osvaldo Dilke et professore Gavino Townend. Illuc autocineto una mecum vehuntur uxor, filia Diana et Cælestis, modo a seminario Bottropensi reversus ; navem transitoriam concendi mus, qua noctu transportamur in portum Hullensem (*Hull*). Inde non longe abest Dunelmum. Conventus participes pauciores sunt quam Augustæ Treverorum, pauciores quoque fiunt acroases. Cælestis verba facit de scriptis Bedæ Venerabilis. Adest etiam Lambertus Pigini, qui loquitur de suis commentariis nubeculatis, *Adulescens* et *Iuvenis* inscriptis. Nonnullæ res visu dignæ invisuntur, inter quas murus Hadriani et museum Ælipontanum (*Newcastle*). ¶ Mense Octobri a. 1985 Saravipontanus et Belgicus circulus Latinus sessionem communem habent Orolauni (*Arlon*) in Belgica. Octo participes illuc conveniunt ex Germania, inter quos Cælestis Eichenseer, novem ex Belgica, inter quos Theodericus Sacré, unus ex Magno Ducatu Luxemburgensi. Francisca Deraedt, Orolauno oriunda, omnia paravit : sessionem in oco musei Gallo-Romani, lustrationem musei eiusque clarorum anaglyptorum, duce curatore, et cibum in iucunda caupona. ¶ Annus Latinus 1986 incohatur, ut solet, mense Februario concessu Societas Latinae, qui fit Saraviponti. Personalia ordinatra nunc exstant atque superiore anno ordinatrum Apple Macintosh emi. Suadeo ut idem faciat Societas Latina, cum hoc instrumentum mirum in modum sit idoneum ad opera lexicographica ; instrumenta nostra facile coniungi possint. ¶ Mense Martio circuli Latini Saraviensis et Belgicus iterum per biduum conveniunt Luxemburgi. Ibi ostendo programma ordinatralle, quod conficiendum curavi ad opera lexicographica suscipienda ; id admiratur et comprobat Cælestis Eichenseer, sed paulo serius Societas Latina ordinatrum aliis generis emit, quocum infeliciter nulla coniunctio fieri potest. ¶ Mense Aprili Cælestem vехor Romam, qui Academiæ sessioni intersit post multorum annorum intercedinem. In itinere, non solum stationem Mediolani facimus, ubi Iohannes Carolus Rossi nos invitat ad sessionem circuli Latini Mediolanensis participandam, sed etiam postea Venetias lustramus. Antequam Romam petimus, circuitum facimus per lacum Nemorensem (*Nemi*), unde extractæ sunt extraordinariae pompatice naves imperatoris Caligulae aut Claudi. Academiæ sessio ordinaria incohatur hora decima atque inauguratur Italianis verbis præsidis Instituti Studiis Romanis Provehendis. Deinde professor Petrus Grimal, sessionis præses elec-

tus, a Cæleste petit, ut ex tempore verba faciat in memoriam Andreæ Thierfelder, Academiæ sodalis conditoris, ante paucos dies vita functi. In disputationibus iam appetat maxima discrepantia inter mentes Cælestis et professoris Iosephi IJsewijn, Belgæ, qui inter alia dicit hæc : « Ego credo non tanti momenti esse nostro tempore – pace tua dixerim – Latine loqui ». Postmeridiano tempore fiunt complures acroases publicæ. ¶ Æstate Cælestis Eichenseer tria seminaria moderatur, Morsaci, Vestendæ et Bottropii. ¶ Mense Octobri Frisingæ habentur tertii Ludi Latini, iterum frequentes et iucundissimi, ubi Cælestis scholæ multos discipulos attrahunt. ¶ Anno 1987 consensus Societas Latinae Bruxellis habetur, domi meæ, serius quam solito, quia coniungitur cum evento quodam singulari. Professor enim Finnus, Tuomo Pekkanen, in Latinos versus rhythmicos vertit Finnorum epos nationale « *Kalevala* ». Eum fortuito novi et cum eo commercium epistulare inii ; sic fit ut, invitantibus Societate Latina et mea Fundatione Melissa, medio mense Martio Bruxellas veniat. In magna aula ædium Communitatis Europææ acroasin Latinam facit de sua *Kalevala* Latina coram amplius centum auditoribus. Cælestis verba de improviso facit ad hanc mirabilem rem concludendam. ¶ Mense Aprili iterum Cælestem vехor ad Academiæ sessionem participandam. Mihi in animo est iter facere per oppidum Recanati, ubi Lambertus Pigini suam domum editoriam habet. Die Paschatis, paulo ante meridiem, oppidum intramus Lambertum quæsituri, cuius domicilium ignoramus. Cloccis undique sonantibus, dum lente progredimur per ambulatorum turbam, quem fortuito adspicimus ? Ipsum Lambertum Pigini multos concives suos salutantem dicendo « Auguri ! ». Is nos statim invitat, impennis Cælestem ad missam celebrandam, nos omnes postea ad prandium et ad suum magnum ergasterium typographicum invisendum. Postero die montem Garganum petimus et oppidum Montis Sancti Angeli, ubi est clarissimum sanctuarium Michaelis archangeli ; quod tamen invisere non possumus, cum tanta sit multitudo peregrinatorum. Iter pergitus ad meridiem et brevem stationem facimus in planicie Cannensi, ubi Hannibal Romanos devicit. Postea Castrum Montanum (*Castel de Monte*), arcem octangulam, quam Fredericus Secundus exstruendam curavit, præterimus et Tarentum pervenimus. Postero die Sallentum adimus, ubi per Lupias (*Lecce*) petimus vicum *Calimera*, unum e paucis, quorum incolæ adhuc Græce loquuntur. In platea sedent nonnulli seniores, quibuscum Cælestis conatur nonnulla verba Græca commutare. ¶ Tempus est ad septentriones cursum dirigendi. Post pernocta-

tionem Potentiæ (*Potenza*) factam Pæstum petimus, cuius non solum templa Dorica, sed etiam museum sunt visu digna. Inde ad Herculaneum invisendum properamus. Quo facto ad montem Cassinum vehimur, ubi Cælestis dicit sibi tandem licere, post quadraginta monachatus annos, ad archicœnobium Benedictinum pervenire. ¶ Sessioni vernali Academiæ intersunt viginti duo sodales. Robertus Schilling, sessionis præses electus, post brevia salutationis verba Latine facta, transit ad usum sermonis Italiani. Propter symbolam de Academia in Melissa divulgatam, ubi dicitur linguam Latinam in Academia non adhiberi nisi a Patre Cæleste Eichenseer, respondere vult relationes semper lingua Latina proferri, communicationes autem ex tempore etiam fieri posse lingua vernacula, et hoc potius lingua Italiana, quæ Latinitatis filia primigenia nominari potest. Præterea præsertim disputatur de futuro Academiæ conventu. ¶ Duo seminaria habentur anno 1987, Morsaci et Vestendæ. Huius seminarii fama in annos augetur et gaudemus, quod Francogalli nunc participant, inter quos duo maioris momenti ; Patricius enim Bougy est præses academiæ classicæ Cadomensis (*Caen*) et Iohannes Iacobus Bertrand præses academiæ Ambianensis (*Amiens*). ¶ Exeunte mense Augusto Societas Latina Saraviponti instituit Symposium Latinitatis Posthumanisticae, ubi multi Latinitatis cultores complurium nationum et variarum disciplinarum de vocabulis Latinis nostris temporibus adhibendis verba faciunt. Francisca Deraedt, quæ Symposio interest, actorum editionem curat. ¶ Circa calendas Novembres Romæ habetur Conventus Palæophilologorum Italorum, ubi, cura Lamberti Pigini, locus reservatur Latinitati vivæ ; Cælestem meque suis sumptibus invitavit ad participandum. Autocineto meo vecti Romam uno tenore petimus. In aula Latinitati vivæ reservata ambo, cum nonnullis aliis Latinitatis vivæ fautoribus, verba Latina facimus coram centum quinquaginta circiter auditoribus. ¶ Academiæ classicæ Francogallicæ, numero circiter triginta, coniunguntur in una societate nationali C.N.A.R.E.L.A. vocata ; eius hornotinus conventus habetur Argentorati (*Strasbourg*) die 6 mensis Novembris. Duo academiarum præsides, Bougy et Bertrand, curaverunt ut Cælestis Eichenseer et Tuomo Pekkanen invitarentur. Mane fit lustratio ædium parlamenti Europæi, ubi consiliarius culturalis Consilii Europæi Vorbeck, vir Bavarus, acroasin Francogallice facit monens de momento linguae Latinæ in Europa ; Tuomo Pekkanen surgens respondet Latinæ. Postmeridianò tempore fit sessio ordinaria, ubi Cælestis Eichenseer et Tuomo Pekkanen ad mensam rotundam sedentes verba faciunt Latine. ¶ Statim post

hunc conventum Cælestis una cum Sigride Albert et ego cum Francisca Deraedt Meldas (*Meaux*) petimus, invitantibus quattuor Francogallis docentibus. Qui viri seminarii Vestendense participaverunt ; Latinitas viva modo inventa eis tantum placuit, ut vellet sine mora omnes eius cultores sibi notos invitare ad sessionem in sua schola habendam. Duodeviginti sunt participes, inter quos Clemens Desessard, methodi « Assimil » auctor. Res mira, televisio Francogallica manum technicorum mittit ad aliquid recipiendum de sessione nostra, quod ostendatur in quadam farragine televisifica. Eis ostendimus varios libros Latinos et præsertim sermocinando demonstramus, quomodo Germani et Francogalli inter se Latine bene intellegant. ¶ Pergratum fuit has memorias in mentem meam revocare. Finem facio anno 1987, qui fuit eventis Latinis refertissimus. Fuit etiam quasi culmen impetus Latinitatis vivæ, in quo Cælestis Eichenseer propugnator erat maximus. Tunc in Europa occidentali necnon in Finnia innotescit Latinitas viva, sed eius hostes vigilant neque arma deponunt. ¶ In Francogallica emissione televisifica nostrum colloquium Latinum non monstratur ; nihil dicitur de scopo Latinitatis vivæ. ¶ Præcipuis regentibus societatis C.N.A.R.E.L.A. valde displicuit oratio Latina Cælestis Eichenseer et Tuomonis Pekkanen. Paulo post Bougy et Bertrand munus academiæ præsidis deponunt neque eos revideamus. Etiam amici Meldenses, apud quos nonnullas iucundas sessiones postea habuimus, Latinitatem vivam nosque deserunt. ¶ In conventu palæophilologorum Italico locus datus est Latinitati vivæ, quæ tamen veheientes hostes habet inter conventus personas maioris momenti, ut professorem Lana Taurinensem. In ipsa Academia sodales iam non Latine loquuntur atque magis magisque ab eius scopo primario se avertunt. Duo seminaria in Magna Britannia facta fuerunt sterilia. Spem tamen non depositimus. Cælestis cum Sigride, ego cum Francisca omnibus viribus perreximus Latinitatem vivam provehere. Gaudere licet, quod non desunt hodie in orbe Latino iuniores qui Latinitatem vivam fovere pergunt. ¶ Cælestis linguae Latinæ in sarcophago ante duo circiter sæcula inclusæ vitam reddere cœpit, sed infeliciter operculum sarcophagi tollere non valuit.

Sit ei terra levis. ■■■

Gaius LICOPPE

DE « VANITATVM ANATOMIA »

- refert Francisca Deraedt -



Brxellis in Museo Erasmi Busque diem 13 m. Iulii speciosam exhibitionem invisere licet, cui titulus datus est « Anatomie des Vanités ».¹ « Vanitates » sunt illæ res, aut illa artificia, quæ contemplans non potes non cogitare « vanitas vanitatum omnia vanitas » et « memento mori » et « quia pulvis es » aut fortasse, quidni, « Vivamus, mea Lesbia ». Si

« vanitatum » exempla quærimus, nonne sponte calvariam nominabimus, signum humanæ fragilitatis ; at etiam avis mortua, foetus cuiuslibet animalis, flos aut quævis res pulchra nos monere potest de condicione nostra caduca.

Tempore litterarum renatarum homines privati domi libenter instituebant museola, museum nostrorum primordia, quibus mirabilia colligebant ; talia museola Francogallice vocata sunt *cabinets de curiosité*. Simili modo spectatori hic proponuntur artificia sexti septimique decimi sæculi, animalia medicata, miracula naturæ, una cum paucis operibus hodiernis, quæ ad vanitatem etiam spectant. Sed margarita et ocellus totius exhibitionis est formosissima « Venus anatomica », de qua, bone lector, mihi in animo est hic paullum exspatiari.

Quid est Venus anatomica ? Est statua, quæ ita aperiri et dissolvi potest, ut vitalia extrahantur unum post alterum. Utilitas talium effigierum inquirenda est in anatomiae cunabulis.

Nostris temporibus² multi homines putant scientiam anatomicam tempore demum Renascentiæ ortam esse post obscura sæcula. Videtur tamen Ecclesia mediævalis corporum dissectionem non tam vehementer renuisse, quam creditur ; primæ quidem dissectiones in studiorum universitatibus aulisque paparum tertio decimo sæculo factæ sunt.

Novum tamen est, renatarum litterarum tempore, primum in Italia, mox in tota Europa, ardens anatomiæ studium. Non iam solum medici, sed artifices etiam, id est pictores et sculptores, anatomicis dissectionibus intersunt, itemque simplices homines his viscerum ostentibus alliciuntur ; huiusmodi publicæ demonstrationes semel aut bis in anno proponuntur, certo pretio constituto. Sic intus conspici potest illud « magnum miraculum »,³ ille microcosmos, imago macrocosmi, homo.

Primum theatrum anatomicum Patavi extstructum est anno 1584, refectum anno 1594. Ipsò loci nomine demonstratur ambiguitas anatomiæ, quippe quæ simul

disciplina sit et spectaculum. Hoc theatrum anatomicum ab anatomista Girolamo Fabrizi d'Acquapendente et theologo Paolo Sarpi dispositum est in formam oculi ; nonne enim « autopsya » Græce significat « propriis oculis videre » quid insit in corpore humano ?

Medio hoc optico, ut ita dicamus, infundibulo, cadaver, nigro lindeo tectum, positum erat in mensa. Candelæ iuxta positæ erant unicus fons luminis. Circumstabant, præter professorem eiusque adiutores, nobiles viri, elegantes dominæ, presbyteri, alii spectatores omnis generis, dum studentes satis incommode constipantur in gradibus, unde difficulter prospiciunt ad anatomicam demonstrationem. Si cadaver erat femininum, etiam plures alliciebantur curiosi, plurimumque placebat « pulchra demonstratio », quam vocabant, id est descriptio genitalium feminæ, sive quod raræ erant mulierum dissectiones – sola enim præsto erant damnatorum corpora – sive quod homo natura percipere cupit ubi et quo modo formatus sit.

Præter has publicas cærimonias, haud facile erat cadavera invenire medicinæ studiosis et artificibus necessaria. Inde utilitas imaginum : anatomiæ tractatus abunde illustrabantur. Etiam præsto erant simulacra virorum cute nudatorum statuæque femininæ partiles, quarum una e vetustissimis, et quidem formosissima, nunc temporis ut diximus exhibetur in museo Erasmi.

Hæc lignea Eva anatomica – sic enim vocanda videatur potius quam Venus anatomica, cum vineæ frondibus sit ornata –, 1 m. 40 alta, efficta est sæculo septimo decimo. Eius thorax aperiri potest, ita ut apparent vitalia, et ipsa avellenda : pulmones, cor, stomachus, iecur, uterus. Quibus amotis, apparent costæ et columna vertebralis. In utero est foetus, qui similiter tolli potest. Denique calvaria aperitur et cerebrum ostendit.

Is, qui hanc pulcherrimam Evam intuetur, facere non potest quin in diversas incidat cogitationes. Quadam enim ex parte morbida quedam est delectatio in spectaculo feminæ, quam ad libidinem licet eviscerare, vacuefacere, iterumque postea in pristinam formam reducere ut muliercula nihil, omnino nihil pulchritudinis risusque dulcis perdiderit, quasi vir – nam illo tempore in anatomica disciplina semper agitur de viro –, qui eam tractat, totam in feminam haberet potestatem.

Etenim quod ad strictam scientiam pertinet, quid proderat mulierem tam formosam observare ? Hæc perfecta pulchritudo a re ipsa satis longe aberat. In veris quidem corporibus dissecandis Vesalius monebat ut exemplum simile esset communium hominum :

« At hic me negotio ita accingam, ut etiam hæc omnia in uno tantum cadavere, si modo in corporum penuria id opus esset, administrare queas, ac rursus, si

velis, privatim singula in variis cadaveribus perficias ; quod longe etiam est consultissimum, ne eorundem organorum partiumve series interturbetur, ac venas cum musculi ostenduntur, aut cum nervos tractas, musculos explicare tenearis. Corpus itaque publicæ sectioni adh̄iberi convenit, in suo sexu quam temperatissimum, et àtatis mediæ, ut ad hoc tamquam ad Polycleti statuam alia corpora possis conferre. In privatis autem sectionibus, quæ crebrius accident, utile erit quodvis aggredi, ut cuiusmodi id quoque sit expendas, corporumque differentiam veramque multorum morborum naturam assequaris. »⁴

Alia tamen ex parte eximia statuæ exterioris pulchritudo, tantum discrepans a visceribus nude expositis, sensum gignit aliquatenus anxium, tamquam si illa nos moneret de vanitate formæ, de fragilitate humana deque mortis certa victoria. Licet ergo conicere Evam huiusmodi, præter anatomicam institutionem, præter artificii spectaculum, etiam habitam esse pro exemplo ad pietatem alendam apto. Quod argumentum in litteris mediævalibus iam inveniebatur ; documento nobis sit hæc fabula, quæ de Raimundo Lullio, « Doctore illuminato » (XIII sèc.) narratur : eum, cum iuvenis esset, gloriosum fuisse ac petulantem, pulchrasque mulierculas amavisse ; aliquando, cum dominulam quandam assidue persequeretur, accidisse ut ea, defensionis causa, mammam revelaret horribili tumore consumptam. Lullium pavore perculsum aufugisse, iurantem se pos hac nulli amori dicaturum, nisi divino.

Huiusmodi terroribus vix perturbantur æquales nostri, qui corporis pulchritudinem modo pathetico colunt, qui sectiones chirurgicas patiuntur ut paucas rugas poliant, qui, àternæ iuventutis studiosi, magnis sumptibus se ipsos curant congelandos – scientiæ pueriliter confisi, quæ mortalibus numquam allatura sit immortalitatem. ☺

1. Photographemata, quæ hic ostenduntur, facta sunt a Paulo Louis. Gratias agimus Alexandro Vanangaerden Domus Erasmianæ rectori quod nobis licentiam dedit ea divulgandi.

2. Hæc mutuata sum ab ampla acroasi, quam Iohannes Marcus Mandonio (École pratique des hautes études, Paris) in museo Erasmi fecit die 22 m. Junii a. 2006 : « De la femme démontable à l'art cadavérique ». Qui textus editus est in : A. Vanautgaerden (ed.), *Anatomie des vanités*, Bruxellis, Musée de la Maison d'Érasme, 2008.

3. Picus Mirandulæ, *Oratio de hominis dignitate* : « Magnum miraculum est homo ».

4. Andreas Vesalius, *De humani corporis fabrica*, Basileæ ex officina Ioannis Oporini, 1543, p. 548.



DE QVARTO REGNO HELLENISTICO

PARS TERTIA : DE GRÆCITATE BVDDHISMO OCCVRSANTE

- scripsit Gaius Licoppe -


Post Alexandri expeditionem apud Græcos oritur curiositas rerum Indicarum. Sibyrtios, Arachosiæ satrapes, circa annos 325-310 a.Chr.n., in aulam suam accipit historicum Megastenem, qui Alexandria Arachosiæ (hodie *Kandahar*) profectus complura itinera in Indianam fecit ; ille optimam omnium Indiæ historiarum conscribit, quæ nobis tantum nota est citatis aliorum auctorum.

Re vera antiqui auctores res gestas Græcorum Asiæ centralis parum curaverunt ; in suis operibus tantum nonnulla regum nomina retinuerunt, Euthydemi, Demetrii, Eucratidis et Menandri. Non mirum ergo si horum Græcorum historia adhuc imperfecte nota est ; tenuibus Græcis fontibus accedit inanitas fontium Indorum, qui historiam numquam curaverunt. Restant effossiones archæologicæ, sed nimis paucæ adhuc fieri potuerunt.

Ante annum 1964, quo inventum est Græcum oppidum in Bactrianæ loco *Ai Khanoum* vocato, historici putabant Græcos post Alexandrum in media Asia relictos solum de bello gerendo curavisse. Tunc vero patuit eos etiam cultum Hellenicum in illas longinquas regiones importavisse atque litteris artibusque favisse. In palatio oppidi *Ai Khanoum* erat bibliotheca, cuius manuscripta infeliciter putruerunt ; atramentum tamen impressum erat in tenui luto, ita ut nonnullæ paginæ legi possint ; in his agitur de scripto philosophico, ubi disputatur de Platonis doctrina Idearum ; fortasse est perditum Aristotelis opus *De philosophia* inscriptum ; insunt etiam nonnulli versus (trimetri iambici), cuiusdam operis theatrici, ut videtur. De pluribus manuscriptis aliquid fortasse legi potuisset, nisi effossiones archæologicæ inopinanter interruptæ essent Russorum invasione in Afghaniam.



Artes ibi manent classicæ tempore quo alibi gradatim mutantur. Opera musiva sunt simplicissima et solum inveniuntur in vestibulo balneorum.¹



Statuæ maiores sunt acrolithæ, i.e. ex argilla vel albario supra structuram ligneam et plumbeam posito, ut fit in Seleucidarum regno ; hæc technica diu vigebit in Asia centrali.



Raro apparet conamen modi Græci cum Orientali commiscendi. Exemplum præbet discus Cybelæ ex argento aurato ; ibi Cybela, Victoria, Helios modo Græco finguntur ; ad modum orientalem pertinent sacerdotes et compositio sine profunditate.

Artificia abundant ; inventæ sunt reliquiae loricarum equitum cataphractariorum, melius servatæ quam ullo alio loco orbis antiqui. Etiam sunt singulares pyxides ornatæ e lapide griseo-cæruleo : formam hemisphæricam, loculos radiatos et operculum habent ; hæ sunt origo reliquiariorum² buddhicorum. Iam tempore quo Menander (160-140 a.Ch.n.) Græcorum imperium dilatat usque in Gangis plagam, nascitur ars



Græco-Buddhica, id quod testificat ipsius Menandi reliquiarium buddhicum. Tunc temporis tamen Indi personam Buddhæ non fingunt ; in imaginibus enim « Beatus » Buddha significatur symbolis ab omnibus notis, ut « Arbor et sedes vacua » pro eius illuminazione vel « Rota legis » pro eius prædicatione vel *Stupa* (tumulus-reliquiarium) pro eius morte. Et hoc secundum theologiam faciunt, cum in buddhismo *nirvana* significet in perpetuum liberari ab incarnationibus. Græci tamen in Gandarite (*Gandhara*) et *Pendjab*, quamquam buddhismo imbuti, manent iconolatri et circiter centum annis a.Chr.n. teneri non possunt quin Buddham fingant ; ei dant aspectum Apollinis, cui adduntur pauca signa canonica : punctum *urna* inter oculos, extensio infimæ auriculæ, crinis nodus *ucchnicha* in summo capite, quo ligabatur tulipantium³ cum Buddha nobilis iuvenis esset ; interdum etiam nimbus, quo significatur sanctitas.



Centeni Buddhæ Apollinei e schisto lapide vel albario in Afghania et *Pendjab* inventi sunt. Innumerabilia etiam sunt anaglypta, ubi ars Græco-buddhica tractavit varias scènas « vitæ historicæ Beati » sub specie principis *Siddharta*, ascetæ *Gautama* et Buddhæ *Sakyamuni*. Ibi apparet Buddha, quem Græci sibi finixerunt, i.e. sub forma sapientis Alexandrini himation gerentis.



Ut supra dixi, Indi historiam vix curant. Græci tamen apparent in litteris linguae *Pali*, ubi vocantur *Yonaka*, i.e. Ionii. In his litteris, quæ maxime spectant ad buddhismum, agitur de rege Græco Menandro, ab Indis Milinda vocato, in libro *Milinda-panha* inscripto (« Quæstiones Milindæ »). Hic liber habetur ut artis miraculum in litteris linguae *Pali*. Ibi Menander de doctrina disputat cum docto monaco Nagasuna. Nonnulla excerpta hic affero.

« Tunc rex Milinda cogitavit : ‘Hic monachus [Nagasena] doctus est et idoneus qui mecum disputet. Multæ sunt res de quibus eum interrogare cupio ; sol occidet ante finem disputationis. Quare melius erit eum in palatium invitare ad pergendum.’

Nagasena palatum intravit et consedit loco sibi destinato. Rex sua manu exquisitum cibum ei præbuit atque tres stolas ei dedit. Postquam, cibo consumpto, Nagasena scutellam manusque lavit, rex ad eum venit et in humili sella sedens interrogavit :

- De qua re, Venerabilis Nagasena, colloquemur ?
- Quærimus finem, Maharaja. Loquamur de fine.
- Agedum ! Qui est finis, pro quo e mundo exiisti ? Qualis est, tuo sensu, ultimus finis ?
- Ut dolor præsens levetur, ne ullus alius oriatur : hic est finis nostri exitus e mundo. Nirvana absolutum : hic est noster ultimus finis.
- Omnesne, qui e mundo exeunt, in hunc finem agunt ?

- Minime. Sunt qui regem vel fures timeant ; alii properæ alienum, alii ut victimum habeant.
- Sed tu, Venerabilis, cur mundum reliquisti ?
- Tunc puer eram et nondum finem dilucide perceperam. Putabam : ‘Hi ascetæ buddhistæ sunt docti ; me docebunt.’ Nunc ab eis edoctus, scio, video finem exitus e mundo.
- Habilis es, Nagasena. Fierine potest ut homo mortuus non renascatur ?
- Alii renascuntur, alii non. Hi, qui affectibus moventur, renascuntur ; hi, qui affectus cohibuerunt, non renascuntur.
- Et tu, Venerabilis, renascerisne ?
- Si studium servo, renascar ; si ab eo liberatus ero, non renascar. »

In secunda huius symbolæ parte narravi imperium Græco-Indicum circa initium ævi nostri finem habuisse propter Scytharum invasionem. Hi imperium Indo-Scythicum condunt a Sogdiana usque in Indiam septentrionalem late patens. Floret a primo ad tertium sæculum et eius maximus rex vocatur Kanichka, stre-

nuus buddhista. Tam incerta est historia illius temporis, ut historici de annis eius regni adhuc disputent. Tunc temporis usus officialis linguae Græcæ disparet et in eius loco adhibetur lingua indigenarum Bactriorum, Græcis litteris scripta.

Ars tamen Græco-buddhica florere pergit et sine dubio florere perrexisset, nisi novi barbari, Hunni Hepthalitæ stirpis Turco-Mongolicæ, e steppis Asiæ septentrionalis advenissent. Hi ab anno 475 Gandaritem (*Gandhara*) et vallem Caburæ (*Caboul*) occupant ; multo magis iconoclastæ sunt, quam Scythæ ; buddhismum ferociter persecuntur, monumenta et monasteria evertunt. Buddhismus tamen superest, ut testificatur clarus peregrinus Sinensis, Hiuan Tsang, qui buddhismi fontes petiturus per illas regiones iter in Indianam facit ineunte septimo sæculo.

Paulo post peregrini Hiuan Tsang transitum, ab anno 652, adveniunt turbæ Arabum mahumetanorum, quæ has regiones diripere incipiunt. Invasiones Turco-Mongolicæ solum vitam populorum perturbabant atque ipsi barbari in fine se ad Legem Buddhæ convertebant. Mahumetani, contra, ipsam populorum animam mutant et in hoc solo historiæ pleno etiam cultus Græco-buddhici tollunt memoriam. Nox islamica tunc in perpetuum cadit... ■

1. Fontes maioris momenti et imaginum origo :

Afghanistan, les trésors retrouvés. Collections du musée national de Kaboul, catalogus exhibitionis Parisiis factæ in Museo Guimet 6 dec. 2006 - 30 Apr. 2007 (imagines 1-5) ;

René Grousset, *De la Grèce à la Chine*, Les documents d'art, Monaco, 1948 (imagines 6-8).

2. Reliquiarium : Fr. *reliquaire*. A. Blaise, *Lexicon Latinitatis Mediæ Ævi*, Turnholti, Brepols, 1975, p. 786.

3. Tulipantum : Fr. *turban*. Gabriele Sionita & Iohannes Hesronita, *Arabia*, Amstelodami apud Ioannem Ianssonium, 1633, p. 62.

DE ANNA SVIDNICENSI (1338/39 - 1362)

SACRI ROMANI IMPERII IMPERATRICE

- *scripsit Norbertus Thiel* -

Germani¹ Annam Svidnicensem nominant Anna von Schweidnitz, Poloni Anna Swidnicka, Bohemi Anna Svídnicka. Multæ quidem mulieres millennio Sacri Romani Imperii uxores imperatoris factæ sunt, nonnullæ quoque imperatrices coronatæ sunt. Ut exemplum afferam, Ludovicus cognomine Bavarus uxorem Silesia oriundam duxit, Beaticem Glogoviensem [*Glogau, Glogów*]. Beatrix una cum marito anno 1313 Aquisgrani [*Aachen, Akwigran*] regina Germaniæ coronata est. Sed illa iam obierat, cum Ludovico corona imperialis Romana imposita est.

Ita iure dicere possumus Annam Svidnicensem unicam mulierem fuisse originis Silesiæ, quæ tripli corona coronata fuit, Bohemica, Germanica, imperiali Romana. Sed illa magnificentia, ille splendor imperialis solum breve per spatium temporis mansit. Anna ætate quattuordecim annorum matrimonialiter cum Carolo IV imperatore coniuncta iam novem annis post in tertio puerperio vita decessit. Mulier nobilis iuvenis certe annos felices egit, cum imperatorem comitata est ad coronationes habendas. Magno populi iubilo recepta est Romæ, omnibus honoribus honorata est in conciliis principum Norimbergensi [*Nürnberg, Norimberga*] et Mettensi [*Metz in Lotharingia*]. Commercium epistularum habuit cum Francisco Petrarca, illustrissimo humanista Italo. Principes Silesii comitati sunt Annam itinerantem Pragam, Marpurgum, Coloniam Agrippinam, Aquisgranum, Metas sive Mediomaticum [*Metz*], Romam.

Per Annam Svidnicensem terra Silesia e situ marginali ad maiorem gloriam quasi in lucem imperii venit. Praga tum temporis urbs internationalis facta est, in qua cultus et humanitas Italica, Francogallica, Germanica, Slavica, Iudaica, Latina eodem fere pondere valuerunt. Studiorum Universitas postea Carolina nominata anno 1348 a Carolo IV imperatore condita multos studiosos Silesios attraxit, inter quos fuit Nicolaus von Jauer [*Javoriensis, Jawor*] sive Nicolaus Magni vel Groß theologus et philosophus. Primus archiepiscopus Pragensis Ernestus Pardubicensis [*Pardubitz, Pardubice in Bohemia*] annos iuveniles egit Glacii [*Glatz, Kłodzko*]; ibi in ecclesia decanali sepulcrum eius adhuc servatum est.

Cuius frater Bohussius anno 1357 in choro alto ecclesiæ cathedralis Pragensis fundavit altare in honorem sanctæ Annæ et sanctæ Hedwigis Andecensis, patronæ Silesiæ [*Hedwig von Andechs, Jadwiga z Andeks, Jadwiga Ślaska*]. Eligendo titulo harum amborum mulierum sanctorum manifestum est, quod Annam imperatricem Silesia oriundam adhuc vivam honorandam voluit.

Nunc aliquid narrabo de gente Annæ Svidnicensis, de proavis, de propinquis eius. Ut illam materiam complicatam clarius perspiciat, vobis stemma gentile monstrabo :

Stemma gentile Annæ Svidnicensis

Bolko I dux Iavoriensis [*Jauer, Jawor*] (reg. 1278-1301)
dux Leomontanus 1286 [*Löwenberg, Lwówek Ślaski*]
dux Svidnicensis [*Schweidnitz, Swidnica*] 1291
& Wratislaviensis [*Breslau, Wrocław*] 1296-1301
pronepos sanctæ Hedwigis Andecensis,
patronæ Silesiæ (+ Trebnitii [*Trzebnica*] 15.10.1243)

Bernhardus dux Svidnicensis (reg. 1308-1326)

Bolko II dux Silesiæ
et dominus Svidnicensis
(reg. 1326-1368)

oo Agnes Austriaca (+ 1392)
[matrimonium sine prole fuit]

Henricus II dux Silesiæ
et dominus Svidnicensis
et dominus Iavoriensis
* ca. 1308 + post 14.8.1343
oo Catharina, filia Caroli II Roberti
de Anjou, regis Hungariae, et Mariae
Bethaniensis [*Beuthen, Bytom*] + ante 29.9.1355

Anna Svidnicensis
filia unica
* 1338/1339 + 11.7.1362
sepulta in eccl. cathedr. Pragensi

regina Bohemiæ coronata Pragæ 28.7.1353
regina Germaniæ coronata Aquisgrani 9.2.1354
imperatrix Romana coronata Romæ 5.4.1355

oo Ofen [*Budapestini*] 27.5.1353
Carolus IV imperator
(nomen eius baptismale : Wenceslaus)

* Pragæ 14.5.1316 + ibidem 29.II.1378
oo (I) Pragæ 8.1.1329 Blanche de Valois,

filia Caroli I Franciæ, comitis de Valois,

* 1317 + Pragæ 1.8.1348
oo (II) Bacheraci m. Martio 1349

Anna comitissa Palatina, ducissa Bavariæ,
filia Rudolphi II, comitis Palatini

* 26.9.1329 + Pragæ 2.I.1353
oo (IV) Cracoviæ 1363 Elisabetha de Pomerania]

i) Elisabetha, * Pragæ 19.3.1358 + Vindobonæ 19.9.1373
desponsata 19.3.1366 Alberto [Albrecht] III, duci Austriae,

* 9.9.1348 + 29.8.1395

2) Wenceslaus, * Norimbergæ 26.2.1361
+ in castro Wenzelstein in Bohemia sito 16.8.1419

rex Germaniæ 10.6.1376

(20.8.1400 a principibus electoribus regno remotus)
et rex Bohemiæ [Wenceslaus IV] (usque ad mortem eius)

3) puer (nomen eius non traditum) * et + 11.7.1362

Anna Svidnicensis e gente nobilissima nata est. Eam homines cognomine nominaverunt dominulam pulchram Iavoriensem [*das schöne Fräulein von Jauer, piekna panna Jaworska*]. De octo proavis quinque erant Polonæ respective Piastæ Silesiæ gentis, unus/-a Brandenburgicæ, unus Francogallicæ, una Habsburgicæ. Unus proavus Ladislaus cognomine *Lokietek* [« vir unius ulnæ », Ladislaus Ellenlang] illo tempore dignitatem regalem Poloniae renovaverat. Ita iam sub specie natus nobilis Anna dignissima erat, ut olim corona imperiali decoraretur.

Pater Annæ, Henricus II, dux Silesiæ, dominus de Fürstenberg [postea *Fürstenstein, Ksiaz*] (prope Waldenburg [*Walbrzych*]) et Svidnitii [*Schweidnitz, Swidnica*], una cum fratre Bolcone II ducatum unitum Svidnicensem-Iavoriensem regebat, qui pertinebat a monte Zabotho sive Silentio monte [*Zobten, Slezaj*] usque ad montes Giganteos [*Riesengebirge, Karkonosze*]. Hic unitus ducatus fuit unicus Silesiæ ducatus, qui nondum ad terras coronæ Bohemicæ pertinuit. Omnes alii duces Silesiæ iam in nomen regis Bohemiæ iuraverant. Anno 1335 Casimirus Magnus, rex Poloniæ, tractatu Trenchiniensi [*Trentschin, Trencin* in Slovacia] de possessione Silesiæ, quæ iam iuris Bohemici erat, « in æternum » decessit, ut est in documento scriptum. Tanto magis postea multi principes Annam Svidnicensem uxorem deposcebant. Nam quia Bolco II, patruus eius, liberis carebat, Anna heres amborum ducatum Svidnicensis et Iavoriensis facta est, quasi filia hereditaria Europæ.

Nunc de vita Annæ ipsa ! Neque annum neque locum natalem eius certe scimus. Unica filia parentum Henrici II ducis Svidnicensis et Catharinæ Hungaricæ Anna exeunte anno 1338 vel ineunte anno subsequenti nata est. Ubi ? Nescimus. Hereditas gentilicia fuit castellum *Fürstenstein / Ksiaz* prope Waldenburg / *Walbrzych*, sed pater residere solebat Svidnitii [*Schweidnitz, Swidnica*]. Mors crudelis Annæ adhuc tenera ætate ambos parentes abripuit.

Ita puella parentibus orba apud propinquos in aula Hungarica per decem annos adolevit. Ea hospes fuit Ludovici, regis Hungariæ, fratris germani sive semifratri matris Annæ. Sed quia rex ipse Hungarus adhuc iuvenis erat, mater eius Elisabetha, filia Ladislai Lokietek, regis Poloniæ, Annam educavit. Illa Elisabetha regina vidua paedagogium vel potius institutum pro virginibus nobilibus in amplissimæ familiae matrimonio collocandis constituit [*Heiratsinstitut, biuro matrymonialne*]. Optima amica Annæ fuit Elisabetha, filia Stephani III, regis Bosniæ. Illa virgo nobilis omnibus nota erat ut pulchra Elisabetha [*das schöne*

Lieschen, piekna Elzbieta]. Ambæ virgunculæ amicæ inter se promiserunt se liberos olim exspectandos in matrimonium daturas esse.

Ceterum Anna in Hungaria compatriotis Silesiis non carebat : Informator sive magister aulicus Ludovici regis erat Nicolaus clericus Wratislaviensis. Cappellanus regius erat Paulus Carnoviensis [*Jägerndorf, Krnov*], legatus papalis iuris canonici consultus. Alter cappellanus regius erat Simon Lignicensis [*Liegnitz, Legnica*]. Annæ certe aliquot quoque equites et famulæ Silesiæ serviverunt.

Carolus IV imperator, ut ducibus Silesiæ divitiis Svidnicensi et Iavoriensi in confinio Bohemiæ sitis potiretur, anno 1350 consilium cepit Wenceslaum, filium e toro secundo, undecim adhuc menses natum matrimonio coniungendi cum Anna, puella undecim annorum. Sed Wenceslaus infans regius anno post obiit.

Ita consilium Caroli imperatoris nullatum est. Sed postquam Anna, comitissa Palatina, secunda uxor Caroli IV imperatoris, obiit, viduus viginti duobus annis natu maior quam sponsa futura novo impetu nunc ipse Annam Svidnicensem uxorem petiit. Impedimentum consanguinitatis longinquieroris nuptientium Ernesto archiepiscopo Pragensi conciliatore venia papali id est Innocentii VI papæ ablatum est. Nuptiarum dies non certus est. Historici coniuncti Carolum et Annam die 27 m. Mai a. 1353 in urbe regali *Ofen* (Hungarice *Buda*), cui nunc cum Pest oppido coniunctæ Budapestinum nomen est, matrimonio coniunctos esse. Eodem tempore etiam Ludovicus, Hungariæ rex, Elisabetham, filiam regis Bosniæ, uxorem duxit.

Annæ heredium futurum erant ducatus Svidnicensis et Iavoriensis et Silesiæ oppida Svidnitium, Strega [*Striegau, Strzegom*], Bolconis fanum [*Bolkenhain, Bolków*], Landishuta [*Landesbut, Kamienna Góra*], Nemchi [*Nimptsch, Niemczaj*], Javorium [*Jauer, Jawor*], Leomonitium [*Löwenberg, Lwówek Śląski*], Cervimontium [*Hirschberg im Riesengebirge, Jelenia Góra*], Boleslavia sive Tilonis villa [*Bunzlau, Bolesławiec*] et aliquot arces et emporia sive fora nundinaria. Coniuges novi ex *Ofen* (*Buda*) urbe per Brunam [*Brünn, Brno*] Svidnitium et inde Pragam se contulerunt in caput regni Bohemiæ. Ibi die 28 m. Iulii a. 1353 Anna ab Ernesto de Pardubice archiepiscopo Pragensi regina Bohemiae coronata est. ☣

(continuabitur)

1. Acroasis die 2 m. Augusti a. MMVI habita inter XIII Seminarium Internationale L.V.P.A.e, Pragense IV, cum argomento « De mulieribus virisque illustribus » (31.7. - 6.8.2006).

LEONIS BAPTISTÆ ALBERTI MOMVS (IV)

- *quem legendum proponit Francisca Deraedt* -

Momus, in omnibus deorum conviviis nunc semper invitatus ut terrestria sua facinora, eademque magis ridicula quam gloriosa, memoret, paulatim intellegit se fortunasque suas cælicolis re vera esse ludibrio. Ei tum in mentem venit, ut par pari referat, mutata oratione novam inferre perturbationem superbiamque divinam ingeniose titillare. Et quid si res horrendas narret ad religionem pertinentes ? Res, exempli gratia, huius generis : homines varias quidem habere de deis sententias, at etsi diversas, tamen omnes similiter virtuperabiles... alios enim negare esse ullos deos, mundique creationem fortuito elementorum concursui tribuere ; alios populorum religione tantummodo uti ad propriam potentiam augendam ; alios etiam deos habere pro pessimis indignisque patribus, levibus, voluptariis, hominum incuriosis, aut immisericordibus, quin etiam malignis.

Huiusmodi sermones arte instillati Iovem ita tangunt ut erat propositum :

« Putabam me aliquando magna diligentia compositis rebus, et distributis pro dignitate imperii, ab his præsentim molestiis vacaturum. Nunc ne id Iovi maximo rerum principi deorumque regi liceat, non cælicolæ modo sed, quod vix ferendum est, homunculi obstant.

« Sed quid ego in hanc unam pestem animantium (ne dicam homines) irascar ? Hoc nimirum nostra efficit nimia facilitas : dum omnibus obsequi ultiro cupimus, omnium in nos temeritatem illeximus. Dederam mortalibus, ut duras et indomitas eorum mentes nostrorum munerum commoditate mitigarem atque beneficiis ad bene de nobis sentiendum flecterem, plura longe quam optare homines sit fas. Namque principio dederam amoenissimum odoratissimumque perpetua florum copia ver. Cupere se illi quidem dixere ut quam fructuum spem flores præ se ferrent mature traderem. Ea de re æstatem adieci, eique rei Vulcani fabros omnemque ignium officinam exercui, quorum manu et opera intimis ab radicibus sucus in baccas educeretur atque in ramos fructumque concreceret. Quid tum ? Demum saturi, fructuum copia delectari se admodum atque cupere dixerunt ut pristinum ver restituerem. Cessi quidem eorum libidini : collegi idcirco ab omni natura gignendarum rerum igniculos atque baccis quasi thesauris inclusos fovi spiritu, quo ad veris opus atque ornamentum servarentur.

« At improbi illi, tantorum a me acceptorum commodorum immemores, ingrati, indigni mortales, novarum semper cupidi rerum temporumque, suique admodum impatientes, dum quæ a me aut petant aut optent non habent amplius, dum ultiro eis commodo quæ ne

optare quidem audeant si modestiores sint, pro accepto beneficio nihil plus est quod referant quam merum odium. (...)

« Et breve sibi datum vitæ spatium condolent qui supini tam multis perdendis horis otio abutantur, et inter senescendum nihil agendo marcescunt ! Morbos et ærumnas a diis importatas prædicant. De his quid est quod dicam, cum sit homo homini ærumnarum ultima ? Pestis est homo homini ! Tu tibi, homo, tua voracitate, tua ingluvie tuaque intemperantissimæ libidinis incontinentia effecisti ut doloribus excruciere, ut morbo langueas, ut ipsum te male ferendo perdas. (...) Quid tum ? Quo fruantur mundus non placet. Hic status, hæc rerum condicio gravis intolerabilisque est. Novam vivendi rationem adinveniemus : alius erit nobis adeo coædificandus mundus. Ædificabitur, parebitur ! »¹

Momus delectatur dum ceteri dei stupefacti obmutescunt. Ecce enim cælestis tranquillitas in discrimen vocatur, ecce molestiæ et infinitarum curarum pompa nuntiantur.

Aliud tamen est meditari novum orbem, aliud rem ad effectum adducere ; et ipse Iuppiter consiliis eget, qui intellegat se hoc novum inceptum satis inconsulte publicavisse. Cum autem audiverit philosophos res gravissimas magna scientia pervestigare, eos statim convenire coramque interrogare cupiens se ad iter terrestre properatim accingit ac festinabundus in conclavi relinquit a Momo prolatas monitorias tabellas nescio quas, ne apertas quidem eoque minus lectas.

Rex deorum, postquam in terris res miras vidit parumque affabiliter a Diogene acceptus est, secum putat multo commodius fore, si Mercurii legatione utetur.

« Sed hæc Iovem spes de Mercurio multo fecellit. Nam cum adivisset Mercurius terras et positis talaribus Academiam, philosophorum officinam, peteret, evenit ut Socratem philosophum ipso in angiporto solitarium offenderet. Quem cum nudis vidisset pedibus et trita veste adstantem, ratus plebeium quempiam, eo ad hominem se fronte qua erat liberali et indole nimirum divina confert. ‘Atqui heus’ inquit ‘homo ! Ubinam hi sunt, apud quos viri et docti et boni fiunt ?’ Socrates, ut erat mirifica prædictus affabilitate et comitate, peregrinum conspicatus adolescentem forma egregium facieque insigne, pro innata sua consuetudine coepit callida illa qua assueverat disserendi ratione alios ex aliis allicere sermones, quoad et qui esset Mercurius et qua de re appulisset et quid superi pararent omnia exhaustus.

« Interea ex Socratis auditoribus unus et item alter accesserat, quos cum non paucissimos pro re agenda

Socrates adesse intellexisset, manum in Mercurium primus iniecit. ‘Atqui adeste’ inquit ‘familiares ! Apprehendite hunc, alioquin indole nobili et liberali præditum, sed inaudita incredibilique insania laborantem. O deterrimam hominum condicionem ! Quam multos habet ad nos perturbandos aditus atque aditus insania ! Quid ego nunc querar furere alias amoribus, odiis, cupiditatibus, libidinibus – quid hoc ? Hic se esse Mercurium prædicat et ab Iove demissum Olympo ! (...) Mercurius, ut erat pedibus celer, ipsum se eripuit fuga.

« Et casu devenit in viculum ubi intra dolium Diogenes inhabitabat, quo in loco seducto et arbitris vacuo ab cursu fessus constituit. Interea improbus quidam lenonis puer, adiecto fuste quem manu ebrius gestabat, Diogenis dolium putre et vetustate penitus confectum multa vi illisit atque confregit, ac mox inde e conspectu evolavit. Ea contumelia percitus Diogenes, quasso ex dolio prosiliens, cum alium neminem præter Mercurium videret, rapto eodem quo esset laccusitus fuste, sedentem petit. »²

Misellus deus conviciis plagisque oneratus constituit satis esse philosophos sic consultos redditque statim ad cælum, vacuis manibus.

At interea Iuppiter, inops consilii, peius peiusque se habens, anxius deliberat quid senatui deorum mox referre possit de terrarum orbe renovando. Tum inopianter et peropportune evenit ut Apollo proponat auxilium. O fortunam insperatam ! Apollinem Iuppiter amplectitur, osculatur, gratiis cumulat plurimis.

Apollo ergo etiam proficiscitur, negotium acturus a Mercurio ipsoque Iove frustra temptatum. Reditus est ad Kalendas, quibus deorum senatus est convocatus. Tempus tranquille fluit. Iuppiter exspectat, spei plenus. Adveniunt Kalendæ, congregantur dei, unus Apollo desideratur. Itaque dei, ut tempus colloquendo terant, unus post alterum sententiam suam dant de ratione mundi reficiendi, ita ut mox fiat mira cacophonia miserque Iuppiter in insaniam paene incidat, nisi Apollo peropportune tandem iterum apparuisset :

« ‘Et quidnam tam sero tardusque redisti?’ Tum Apollo ‘Nihil habui rerum’ inquit ‘aliud quod agerem, quam ut tua sedulo matureque imperia exsequerer. Sed me illi ad quos accessi philosophos, dum ita instructi sunt ut nihil expromant rerum reconditarum nisi id sit maximis verborum involucris implicitum, longis ambagiis detinuere invitum quidem, tamen eos audiendos putabam quando exspectationi tuæ omni studebam diligentia satisfacere. (...)」

« Democritum offendi inspectantem proximo ex torrente raptum cancrum vultu attonito, oculis ita stupentibus ut præ illius admiratione una obstupuerim. Cumque plusculum adstisset, coepi hominem compellare ; at ille ab suo, si recte interpretor, somno quo apertis oculis habebatur nequam excitabatur. Commodius ea de re duxi Democriteam illam, ut ita loquar, statuam relinquere quoad sponte sua expurgiceretur, quam illic frustra tempus perdere. Itaque alias alibi catervas conveni philosophorum, quorum mores quis non improbet ? Et vitam quis non oderit ? Dicta vero et opiniones quis aut interpretetur aut probet ? Adeo sunt obscura, adeo ambigua, ut nihil supra’. (...)」

« Ad hunc igitur iterato rediens offendio hominem perscidentem cancrum quem spectare attonitum dixeram, cancrumque ipsum obtenso vultu pronisque lumenibis introrsum per viscera scrutantem et dinumerantem quicquid nerviculorum ossiculorumque inesset. Saluto hominem, at ille nusquam minus. Non possum facere quin ipsum me rideam : audies, o Iuppiter, ridiculam rem. Incidit enim in mentem ut cæpe quoddam ex proximo agro desumerem atque medium perciderem meque homini adigerem ; quo facto coepi eius gestus et motus imitari. Pressabat ille os, ego itidem pressabam ; cervice ille in hanc ruebat aurem, ego itidem in hanc ; prægrandes ille exporgebat oculos, ego itidem. Quid multa ? Omnia enitebar ut me illi præberem similem, et habebam quidem me homini prope imitando parem ni illud interturbasset, quod Democrito exstabant oculi siccitate insignes, nobis vero ob molestam cæpæ acrimoniam oculi erant prægnantes lacrimis.

« Quid multa ? Hoc ludicro invento assecutus sum quod serio nequivissem, ut colloquendi daretur locus. Me enim despactato subridens ‘Heus’ inquit ‘tu, quid facis lacrimans ?’ Tum ego contra despactans : ‘At enimvero tu quid facis ? Quid rides ?’ ‘Te’ inquit ille ‘prius rogaveram.’ ‘Tibi’ inquam ‘ipse prius respondi.’ Paratum inde adeo litigium videns grandius arrisit. ‘Atqui quando ita evincis’ inquit ‘referam de me quale nostrum foret opus. Ego enim multam dederam operam ut brutis eviscerandis (hominem quidem ferro lacerare nefas ducebam) intellegerem quasnam primum in animantibus malum, iracundia, sedes occuparet, unde tanti motus effervescerent, quibus facibus mentem hominis exagitaret omnemque vitæ rationem perverteret. Ea enim re inventa, multa in hominum vita me reperturum putabam commoda et utilissima. (...)」

« Nunc animal unum hoc quod inter manus est, cum natura mihi ad omnem duelli audaciam et ferocitatem pulchre adornatum videretur, diligentius recognoscendum arbitrabor. Huic thorax, huic manicæ, huic

nihil non opertum squamis adesse natura voluit, cumque arma scirem amoto irarum impetu esse penitus mollia et inutilia, non iniuria opinabar huic etiam dedisse naturam multa ad incessendam iracundiam fomenta atque irritamenta. Ea vero ubinam hærent nusquam invenio, et quod magis solliciter accedit, quod ne cerebrum quidem hoc in animante comperio. (...)

« Hæc Democritus. At ego, ut viderer quoque philosophari, contra sic orsus sum dicere spectare quidem me in eo quod manibus haberem cæpe demoliturine sint superi dii mundum an perpetuo servaturi. Tum ille ‘O te’ inquit ‘haruspicem lepidissimum ! Unde tibi novum hariolandi hoc genus arcessivisti ?’ Tum ego ‘Atqui’ inquam ‘istuc recta et a vobis philosophantibus diducta fit ratione, qui quidem maximum esse cæpe mundum asseveratis.’ Tum ille ‘Facis tu’ inquit ‘adeo venuste, qui parvo in orbe maximi mundi casum quæris ! Verum et quidnam ? Quid hisce in extis cæpariis, quid ingratii invenisti quod plores ?’ Tum ego ‘Viden’ inquam ‘istic diviso in cæpe litteras *c* atque *o* ? Num eas clare aperteque admodum sentis quid proloquuntur ?’ Tum ille : ‘Quid, tune loqui cæpe, cum et cælos cantare aliqui dixerint, existimabis ?’ Tum ego : ‘Minime, sed præ se ferunt. Iunge *o* atque *c* : aut occidet, inquiunt, aut corruet. Disiunge : nonne itidem enuntiant, corruturum orbem ?’ Tum ille vehementer ridens ‘Tu’ inquit ‘igitur, o piissime, orbis excidium atque interitum ploras ! Sed heus tu ! Ubinam huius qui nunc constat mundi rudera superi reicient, si demoliri aggrediantur ?’ Hoc dictum, quod sapiens et ad nostram rem accommodatissimum videretur, effecit ut obmutescerem atque mecum ipse dicerem : ‘Habes tu quidem cerebrum quod te non habere fueram dicturus, quando illud in cancro quæreres.’ »

Dum hæc aliaeque tractantur nugæ, quæ ad mundum reficiendum certe parum conferunt, sed lectori meram delectationem præbent, in ipsa Terra res iam paulatim ad interitum procedunt. Nam Æstus, Fames, Febris et eorum amici, cum audiverint mundi ruinam parari, cogitantes laborem fore ingentem constituunt negotium aliquatenus iam anticipare ac nonnulla mortalium milia arte diligentiaque e medio læte tollunt. At inter homines, morbo, inopia, tempestatibus vexatos, fit pavor. Quid tum ? Ad quos se vertant, nisi ad deos ? Itaque tempora, viæ, theatra precibus votisque implentur, totus populus, tota Terra cælum implorat.

Et qui deus cor habet tam durum, ut tantis supplicationibus non moveatur ? Sic fit ut superi, humana desperatione commoti, sententiam mutent statuantque mundum denique non esse delendum. Eadem occasio-

ne cælicolæ etiam secum reputant homines, qui deos tantopere colant, vix posse de iisdem tam malas opiniones habere, quam Momus modo narravit ; subvenit suspicio istum fraudatorem collegas iterum deludere voluisse. Ipse Iuppiter, et ceterorum deorum argumentis et victimis a mortalibus oblatis paulatim illectus, haud parum contentus est errorem suum in Momum reiicere. Et, convocato deorum tribunal, sollemnem sententiam pronuntiat hanc :

« Ea de re sic institui : consceleratissimum rerum perturbatorem Momum, deorum hominumque odium, quod nihil sinceri, nihil sani, nihil pacati, nihil tranquilli aut cogitet aut studeat aut cupiat ; quod felicium et beatorum beneque constitutorum res atque rationes collabefactare, profligare atque funditus pervertere elaboret assiduoque enitatur ; quod miseros et immeritos ærumnæ calamitateque obruere ac penitus obterere, quoad in se sit, nusquam desinat, nusquam acquiescat ; quod factiosis, audacibus, nefariis omnique scelere perditis utatur et faveat ; quod deterrimos instruat in facinus, incitet atque impellat ; quod dictis factisque pestem atque perniciem orbi rerum in horas commachinetur atque importet, quodque in dies nefandæ et detestabili improbitati sua multa adaugere accumulareque minime intermittat ; ne superos deos lacessere deorumque delicias, homines, opprimere atque conficere pro sua libidine et desiderio amplius possit, intra oceum maximum fore relegandum et catenis ad cautem commendandum, ita ut præter summum os reliquo hæreat corpore undis immerso æternum. »³

Momus profecto est opus nimis magnum, quam ut singula parvuli dei facinora hic recenseamus. Solum exempla nonnulla tibi offerenda, lector, excerpere volui. Si lectionem tuo Marte ultro protraxeris, videbis *Momum*, aliis interea rebus perpetratis, denique non tam malum videri, quam primum dictus est. In fine Leonis Baptæ narrationis Iuppiter, lassus, curas suas recognitans, pristinam desiderans beatitudinem, constituit, sicut nos facere solemus cum animus est demissus neque quicquam aliud incipere valemus, constituit, inquam, cubiculum suum ordinare ; sic fortuito incidit in tabellas a Momo olim datas, sed numquam lectas, in quibus mirans tandem invenit formulam bene gubernandi. Ah, si prius legisset ! Pauciores fuissent molestiæ... ☩

1. *Momus*, II, 106-109.

2. *Momus*, III, 21 sq.


3. *Momus*, III, 74.

Armilla. Pellicula Latina sub forma DVD, una cum libello textuali. Ordinator : Prof. Willy Pfaffel. Editio : Bamberg, C.C. Buchners Verlag, 2005.

Quinque iuvenes e variis Europæ regionibus oriundi, qui nomen singuli dederunt programmati cuiusdam sedis periegeticae, Romam conveniunt ad Urbem lustrandam ; at, diversas linguis callentes, inter se primum non intellegunt. Feliciter autem advenit mirabilis quidam interpres, Titus nomine, antiqua tunica vestitus, qui eos paulatim inducit ut inter se Latine loquantur. Iuvenes delectantur hoc festivo proposito, quod putant a sede periegetica excogitatum.

Titus tamen habet secretum : magicam armillam, qua sæcula transvolare valuit e suo tempore, i.e. Marci Aurelii ævo, ad nostrum hodiernum. Eodem modo magico iuvenes nostros transportaturus est in antiquam Romam, ubi inter Titi familiares viventes permulta mirabilia, ædificia, vitam cottidianam, cultum civilem Romanorum sunt inventuri, necnon... varia facinora obituri.

Pellicula est eximie confecta, imagines per pulchræ, fabula iucunde constructa, actores (quorum plerique sunt discipuli) optimi. Nec deest sal fabulæ criminalis ! Spectator re vera suspensus manet usque ad finem. Grammaticæ notiones in capitulorum contextu gradatim inducuntur – exempli gratia : cap. 1 esse, venire (1-2 pers.), pronomina (1-2 pers.) ; cap. 2 accusativus, neutrum, tertia persona primæ et secundæ coniugationis ; cap. 3 hic, ille (nom. acc.), tempus præsens indicativi ; cap. 4 ablativus primæ, secundæ et tertiaræ declinationis, vocativus ; cap. 5 ablativus instrumentalis ; cap. 6 imperativus, cap. 7 genetivus, velle ; et ita porro per



viginti quinque capitula.

Hæc ergo pellicula procul dubio optimum instrumentum est, quo discipuli (ac, quidni, etiam alii) et delectentur et erudiantur.

ISBN 3-7661-9590-5

http://wwwccbuchner.de/reihe-771_2_2/armilla.html#

LEONID IOSIFOVICH TARUASHVILI, *Monimenta antiquæ urbis Romæ ad artes elegantes pertinentia : Itinerarium Latine adumbratum*.

Spectata pellicula supradicta, fortasse, bone lector, cupido occurret Romam visendi. Tum tibi utilis erit hic liber interretialis, quo singula urbis Romæ monumenta tam docte quam accurate describuntur, adjunctis pulchris imaginibus. Insuper Latine conscriptus est

secundum consuetudinem rei publicæ litterarum ; quod non possumus non laudare.

archiv.ub.uni-heidelberg.de/propylaeumdok/volltexte/2008/81/pdf/Taruashvili_Roma2007.pdf



In hoc fasciculo !

*In memoriam inclytam D. ris P. Cælestis Eichenseer [G. Licoppe] p. I
De « vanitatum anatomia » [F. Deraedt] p. 6
De quarto regno Hellenistico (III) [G. Licoppe] p. 8
De Anna Svidnicensi (1338/39-1362) [N. Thiel] p. II
Leonis Baptiste Alberti Momus (IV) [F. Deraedt] p. 13
Bibliotheca Latina p. 16*

*Imago tegumenti : Andreas Vesalius, De humani corporis fabrica,
Basileæ ex officina Ioannis Oporini, 1543, p. 164.*

LITTERARVM VIS

OMNIUM GENTIUM SEMINARIA DE LITTERARUM VIRTUTIBUS PENITUS INTELLEGENDIS
Segedini, in Hungaria,
inde a die XXIV mensis Iulii usque ad Kalendas Augustas a. MMVIII

Litteræ inditos nobis a natura honestatis igniculos excitant ; luxuriantes quasique fruticantes cupiditates stringunt ac coërcent, easque rationis finibus regunt ; abducunt a vitiis, duces et magistræ sunt ad virtutem ; prosperis rebus ornamento sunt, solacio adversis ; neque illis exultare atque efferri suos, neque his frangi ac deprimi sinunt ; eam denique tranquillitatem animi efficiunt, quam multi finem bonorum esse dixerunt.

(M. A. Mureti oratio XXIII *De utilitate, iucunditate ac præstantia litterarum*, habita Romæ a. d. XV Kal. Nov. a. MDLXXIII)

Peracto Neapoli superiore æstate conventu HUMANITAS nuncupato, appari-tores, felici conventus successu incitati, ordinare statuerunt, una cum amicis col-legisque Hungarisi, seminaria quædam Latina, æstate hac proxima Segedini in inclita Hungariæ urbe habenda. Quæ seminaria inde a die vicesimo quinto men-sis Iulii ad Kalendas usque Augustas, sub nomine quod est « LITTERARVM VIS », celebrabuntur ; ita tamen ut iuvenes die vicesimo altero Iulii eodem iam congregentur, ut a peritoribus per biduum usu sermonis Latini extemporali ini-ciari queant. Ad hæc seminaria participanda ii omnes vocantur, qui humanitatis studiis addicti de iisdem cum præceptoribus ac condiscipulis sermocinari dispu-tare deliberare cupiant.

Argumenta tractanda erunt maxime varia, sicut varia est vis quam litteræ exer-cent ; participes igitur verba facient de artibus deque Musis omnibus, quæ modo excitant modo sedant animi affectus ; de vita civili deque arte rhetorica, qua bonus vir cum dicendi peritus tum publici boni defensor fit ; de rerum denique gestarum historia deque pueris instituendis, qui virtutum vitiorumque ætatis suæ magis sibi consciæ fiunt si ea cum moribus institutisque præteriorum temporum comparant. Quia pleni omnes sunt libri, plenæ sapientium voces, plena exemplorum vetustas : quæ iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet : nam hæc studia adulescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis per-fugium ac solacium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobis-cum, peregrinantur, rusticantur.